



Co-funded by the  
Erasmus+ Programme  
of the European Union



EULALIA

European Latin Linguistic Assessment

Erasmus+ Strategic Partnership for Higher Education (2019-2022)

(2019-1-IT02-KA203-062286)

<https://site.unibo.it/eulalia/en>

## **O3: European Latin Language Certification – Advanced Level - Methodological and Pedagogical tools, Multimedia Practical Tools**

### **Exercises**

(Swedish Version: 30.09.2022)

#### **Project Coordinator:**

Alma Mater Studiorum – University of Bologna (Italy)

#### **Project Partners:**

University of Köln (Germany)

Catholic University of the Sacred Heart – Milan (Italy)

University of Rouen (France)

University of Salamanca (Spain)

University of Uppsala (Sweden)



The European Commission's support for the production of this publication does not constitute an endorsement of the contents, which reflect the views only of the authors, and the Commission cannot be held responsible for any use which may be made of the information contained therein.


## Övningar B2

### Summarium

*Seneca litteras amico suo Lucilio scribit, qui, cum longum iter per multas variasque terras fecerit, tamen aequo animo non est. Senecae sententia, si felices esse velimus, non interest ubi simus, sed quales; ergo animus fugiendus non est, sed in omni loco colendus.*

1	Hoc tibi soli putas accidisse et admiraris quasi rem novam quod peregrinatione <sup>1</sup> tam longa et
2	tot locorum varietatibus <sup>2</sup> non discussisti <sup>3</sup> tristitiam <sup>4</sup> gravitatemque <sup>5</sup> mentis? Animum debes
3	mutare, non caelum. Licet vastum traieceris <sup>6</sup> mare, licet, ut ait Vergilius <sup>7</sup> noster,
4	terraeque urbesque recedant,
5	sequentur te quocumque perveneris vitia. Hoc idem querenti cuidam Socrates <sup>8</sup> ait, 'quid
6	miraris nihil tibi peregrinationes <sup>1</sup> prodesse, cum te circumferas <sup>10</sup> ? premit <sup>11</sup> te eadem causa
7	quae expulit'. Quid terrarum iuvare novitas potest? quid cognitio <sup>12</sup> urbium aut locorum? in
8	irritum cedit ista iactatio <sup>13</sup> . Quaeris quare te fuga <sup>14</sup> ista non adiuvet? tecum fugis. Onus animi
9	deponendum est: non ante tibi ullus placebit locus. Talem nunc esse habitum tuum cogita
10	qualem Vergilius noster vatis <sup>15</sup> inducit iam concitatae et instigatae <sup>16</sup> multumque habentis in
11	se spiritus non sui:
12	bacchatur <sup>17</sup> vates <sup>15</sup> , magnum si pectore possit
13	excussisse deum.
14	Vadis <sup>18</sup> huc illuc ut excutias insidens <sup>19</sup> pondus quod ipsa iactatione <sup>13</sup> incommodius <sup>20</sup> fit, sicut
15	in navi onera immota <sup>21</sup> minus urgent, inaequaliter <sup>22</sup> convoluta <sup>23</sup> citius <sup>24</sup> eam partem in quam
16	incubuere <sup>25</sup> demergunt <sup>26</sup> . Quidquid facis, contra te facis et motu ipso noceas tibi; aegrum enim
17	concutis.
18	At cum istuc exemeris <sup>27</sup> malum, omnis mutatio <sup>28</sup> loci iucunda fiet; in ultimas expellaris terras
19	licebit, in quolibet barbariae <sup>29</sup> angulo colloceris, hospitalis <sup>30</sup> tibi illa qualiscumque sedes erit.
20	Magis quis veneris quam quo interest, et ideo nulli loco addicere <sup>31</sup> debemus animum. Cum
21	hac persuasione <sup>32</sup> vivendum est: 'non sum uni angulo <sup>33</sup> natus, patria mea totus hic mundus est'.

## Glossarium

- <sup>1</sup>peregrinatio, -onis: extra patriam iter  
<sup>2</sup>varietas, -atis: quod varium est, varietatem habet  
<sup>3</sup>discutio, -is, -cussi, cussum, -ere (dis + quatio);  
ille aquam discutit:
- 
- <sup>4</sup>tristitia, -ae: qui tristis est, tristitiam habet  
<sup>5</sup>gravitas, -atis: qui gravis est, gravitatem habet  
<sup>6</sup>traieceris (traicio, -is, -ieci, -ectum, ere): transieris  
<sup>7</sup>Vergilius: poeta Latinus  
<sup>9</sup>Socrates: philosophus Graecus  
<sup>10</sup>te circumferas: te feras circum  
<sup>11</sup>premit (premo, is, -premi, pressum, ere): pellit  
<sup>12</sup>cognitio, -onis: actio cognoscendi, scientia  
<sup>13</sup>iactatio, -onis: actio iactandi  
<sup>14</sup>fuga, ae: actio fugendi  
<sup>15</sup>vates, -is (f.): sacerdos quae, a deo invasa, pro eo loquitur  
<sup>16</sup>instigata (instigo, -as, -avi, -atum, -are): pulsa  
<sup>17</sup>bacchor, -aris, -atus sum, -ari: quae bacchatur, furore capta est

- <sup>18</sup>vadis (vado, -is, ere): is  
<sup>19</sup>insidens (in + sedeo): quod intus sedet  
<sup>20</sup>incommodius (incommodus, -a, -um): incommodus est qui incommodum praebet  
<sup>21</sup>immota (immotus, -a, -um: in + motus): immota sunt quae non moventur  
<sup>22</sup>inaequaliter: non aequaliter  
<sup>23</sup>convoluta (convolvo, -i, volvi, -volutum, -ere): hic et illuc lapsa  
<sup>24</sup>citius: prius  
<sup>25</sup>in quam incubuere: (incumbo, is, cubui, cubitum, ere): quam oppresserunt  
<sup>26</sup>demergunt: in aquam mergunt  
<sup>27</sup>exemeris: (eximo, -is, exemi, exemptum, -ere; ex + emo): sustuleris  
<sup>28</sup>mutatio: mutandi actio  
<sup>29</sup>barbariae (barbaria, -ae): qui barbarus est, barbariam habet  
<sup>30</sup>hospitalis, e: qui hospitem bene accipit, hospitalis est  
<sup>31</sup>addicere (addico, -is, addixi, addictum, ere): addictum (id est servum) aliquem facere  
<sup>32</sup>persuasio, -onis: persuasionem habet qui certus est alicuius rei  
<sup>33</sup>angulus, -i: parvus locus

### 1. Välj rätt sammanfattning för var och en av de tre delarna genom att infoga en bokstav i varje textdel:

- a) Quod Lucilius expertus est omnibus mortalibus accidit; Vergilius quoque putat mutare locum animo non prodesse
- b) Si aequum animum habebis, etiamsi servus eris, in omni loco bene manebis.
- c) Quod Lucilius expertus est omnibus mortalibus accidit. Socrates quoque putat eum qui patriam relinquat secum vitia sua semper habere.
- d) Nemo animum suum fugere potest. Seneca animum non aequum comparat cum vate, quae dei spiritu excussa est, et cum navi quae pondera in mare mergunt.
- e) Si aequum animum habebis, in omni loco, quamquam barbaro, optime manebis.

1-7 \_\_\_\_\_

7-16 \_\_\_\_\_

16-19 \_\_\_\_\_

**2. Välj om påståendet är sant (= verum), falskt (= falsum) eller inte går att sluta sig till från texten (= non liquet):**

		verum	falsum	non liquet
a)	Lucilius dolet quod sibi multa loca in peregrinatione visa non placuerunt			
b)	Socrates ait peregrinationes prodesse dummodo causa proficiscendi bona sit			
c)	Seneca Vergilium pluris facit quam Socratem			
d)	vates de qua dicitur sacerdos Apollinis est			
e)	etiam tristis locus placet, si recte vivis			
f)	omnem partem mundi patriam putabis, si recte vives			

**3. Välj den synonym eller fras som bäst uttrycker textens innebörd:**

**r. 3** (licet.... mare) **licet**

- a) etsi
- b) libet
- c) potest
- d) rectum est

d) grave est

**r.8 inducit**

- a) pellit
- b) videt
- c) dicit
- d) ducit

**rr. 4 recedant**

- a) videantur minimae fieri
- b) relictæ sint
- c) desertæ sint
- d) videantur procul abire

**r.12 bacchatur... si pectore possit excussisse deum**

- a) vates timet ne possit pectore excutere deum
- b) vates, furore capta, potest pectore excutere deum
- c) si vates posset pectore excutere deum, desineret furore capi
- d) vates, furore capta, conatur pectore excutere deum

**rr. 6-7 premit te eadem causa quæ expulit**

- a) animus tuus, quo patriam reliquisti, extra patriam non mutatur
- b) ex patria expulsus es quia multa vitia habes
- c) in eundem locum quem reliquisti redire vis
- d) eodem loco manere non potes quia animus tuus saepe mutatur

**r. 20 magis quis veneris quam quo interest:**

- a) magis interest cum quibus sis quam ubi sis
- b) non interest in quem locum perveneris, sed qualis tu sis
- c) tantum interest qualis animus tuus sit, quantum ubi sis
- d) non interest cum quibus sis sed qualis sis

**r. 8 in irritum cedit**

- a) inane est
- b) iram movet
- c) nocet

**4. Infoga vart och ett av följande *nomina actionis* i en av följande fraser och böj det på rätt sätt:**

*iactatio, cognitio, mutatio, peregrinatio, persuasio*

volo hanc \_\_\_\_\_ habeas: unum bonum esse, quod honestum est

quam \_\_\_\_\_ vocas, misera fuga est

subita \_\_\_\_\_ fit : homo in lupum vertitur

navis \_\_\_\_\_ fluctuum pati non potuit

innatus in nobis \_\_\_\_\_ et scientiae amor

**5. Välj rätt svar**

**r. 10 sui:**

- a) är genitiv av *se* och en bestämmelse till *multum*
- b) är genitiv av *se* och en bestämmelse till *spiritus*
- c) är genitiv av *suus* och samordnat med *spiritus*
- d) är genitiv av *suus* och samordnat med *habentis*

**r. 16 aegrum:**

- a) betyder *aegrum hominem*
- b) syftar på *te*
- c) betyder *aegrum animum*
- d) syftar på *quidquid*

**r. 17 convoluta:**

- a) är ett particip som används som attribut till *navi*
- b) är ett participium conjunctum till *onera*
- c) är ett substantiverat particip (*res convolutae*)
- d) är ett particip som används som attribut till *immota*

**r. 18 in ultimas expellaris terras licebit motsvaras av:**

- a) si in ultimas expellaris terras
- b) quamquam in ultimas expelleris terras
- c) quasi in ultimas expellaris terras
- d) sicut in ultimas expelleris terras

**Omvandla följande fraser:**

**A.** Hoc tibi soli putas accidisse

non dubito quin hoc tibi soli \_\_\_\_\_

**B.** Socrates querenti cuidam ait 'quid miraris?'

Socrates querenti cuidam quaerit quid \_\_\_\_\_

**C.** nulli loco addicere debemus animum

(perifastica passiva) nulli loco \_\_\_\_\_

**D.** Cum hac persuasione vivendum est

Seneca putat cum hac persuasione \_\_\_\_\_